Epistola 234.

pagina

fol. 714.

IOHANNI COCCEJO HENRICUS Timanni SCHLUTERUS.

Vir clarissime, Praeceptor, fautor venerande, & Parentis loco colende.

Diu multumque animo fluctuavi, utrum Claritatis vestrae fores hisce litterulis pulsarem nec ne, in diversum trahor. Meam dum contineo contemplor tenuitatem, pudore suffundor, nec pulsare sustineo: si charta haec naturam affectuum esset capax, minime sub calamo rubesceret, scribentis pudorem expressura; [à calamo arceor] mox dum oculos figo in ingens saxum quod Claritas vestra indefinenter volvit ut regno Christi ultimis hisce temporibus strenue promovendo consulat, unde Clarissimum Virum ita districtum atque obrutum fateor, ut sibi ipsi vix sit copia sui, nedum ut aliis, & mihi vacet. Ex altera tamen parte, dum naturam illam mihi propono humanitatem & paternum affectum, quo Claritas vestra discipulos suos tanquam filios, haud aliter ac si cor cum corpore genuisset, prosequitur; & magis, dum mentem adjicio ad singularem illam benevolentiam, qua me praesentem continuo suscipere fuit dignata, & quod maximum est, quod ipse Clarissimus Vir in meo à se discessu hac me gratia singulariter beaverit, ut quod scriberem

discipulans ut se literis inviserem;

si potestatem, saltem libertatem concessisse mihi videatur: hac, inquam, dum attentius considero, rursus erigor, spe melioris suffulcior, nullus ambigens, quin Claritas vestra veniam sit concessura libertati meae, ne dicam, audaciae: expressit eam amor, quo in Clarissimum Virum ceu Parentem feror, & studium me demonstrandi gratum benevoli Praeceptoris discipulum, ut jam literae meae interpretes hoc apud Claritatem vestram affectum dent, ut me, quod praesens satis gratus esse non potui, ingratum tamen nunquam fuisse appareat: etenim non amare Virum tot tantisque eximiis dotibus ornatum, illorum est, qui nec virtutem, nec eruditionem in pretio habent: non redamare autem Praeceptorem tam saluberrimè de se meritum, adeo non est grati discipuli, ut nec hominis sit, vix etiam ferarum. In me quantum erit, certatim decurram hoc iter benevolentiae & gratiarum actionis, ut nihil, quod illi inservire possit, intermittam.

De me si requirat Claritas vestra, bene valeo; in eo haereo totus, in quod incurravi (ut phrasin Sacrae ex verbis adoptem) ut originales Sacrae linguas, pro quam habeo, mihi redderem familiariores, ut ipsos fontes eam quam scripta sunt, lingua legerem, unquam iis quae super his à Claritate vestra scripta sunt, quotidie conferrem, unde haud parvum in studiis incrementum sentio. Caeterum postquam relicta Leida venissem Vaselam, atque ibi pro frequentissimis populi Vaseliensis concionibus aliquoties cum ingenti (absit verbo jactantia) omnium applausu satis feliciter dixissem, nostrumque nonnullos induxissem, ut benignius de Claritate vestra sentire inciperent, ut quem despexerant habere, jam suspiciant; ~~inde~~ Teutoburgum concessi, ut liberius studiis incumberem, ubique otia, quae ad puriorem Theologiam, reique instructissima, ultra et quam sperare licuerit. Mirum, quam seduli eruditores Coccejani (liceat ita loqui) se praebeant amicos Clar: Clauberguis & Clar: Hondius, unus in duobus pectoribus animus; adeo ut ego qui Academiam mutavi, vix tamen Praeceptores commutasse me censeam; cum jam non alios à Clar. Coccejo, sed ipsum Clar. Coccejum in aliis tantum loquentem audiam, cum illi non tantum res sed verba Clar. Coccejo (vel potius cum Clar. Coccejo Sacra verba) adoptent: (attamen ex ipso fonte quam ex rivulis uberior aqua confluere solet) & sic dum Clar. Coccejus Leidae in se consenescit, in his Teutoburgi reviviscit, dum ibi decrescit, hic per se renascitur. Sed de his tantum.

Nunc ad illud digredior, cujus causa potissimum ad Claritatem vestram scribendum duxi. Est haec difficultas Theologica, & me discipulo & Claritate vestra Praeceptore digna, nata haec mihi difficultas ex hoc argumento quod satisfactione Christi excogitato. Argumentum tale est:

Si Christus perfecte pro nobis satisfecit. Ergo omne nostrum debitum scilicet omnem poenam peccato debitam in se suscipere debuit; sed non omne nostrum debitum in se suscepit. Ergo non perfecte satisfecit. In hoc argumento nonnulli minorem negant; sed hoc mihi nunquam placuit; etenim illam puto firmissimam; eamque probo ex loco Gen: 3. scil. ex morte, quam Deus transgredienti Adamo comminatus est, dicendo: morte morieris: sub qua morte non tantum mors corporalis sed et spiritualis comprehenditur, quae est separatio à Spiritu sanctificante, alienatio à vita Dei, qua natura nostra corrupta est; haec igitur mors spiritualis fuit & poena puto & peccatoribus debita, attestante Clar. viro in libello de foedere th: 42. Sed hanc Christus non in se suscepit, ut per se manifestum est; utpote sanctus & separatus à peccatoribus. Igitur cum Claritate vestra puto negandam majorem dicendo, non esse de ratione perfectae satisfactionis, ut sponsor omne debitum debitoris in se suscipiat; hocque ut manifestum reddam, distinguo inter duplex debitum, inter debitum nostrum primarium, (quod sic appello) quod est ad reparandam gloriam Dei à nobis violatam, & inter secundarium, quod est ad aeternas miserias, ad aeternam separationem à communione Dei. Secundarium debitum demum oriri puto ex defectu persolutionis primario, ita ut si primario solvatur, secundarium sponte tollatur. Quemadmodum in foro in debito pecuniarum: si quis nequam servus bona heri sui dilapidaverit ut reus sit debendi mille, si solvendo non est, ad duplex debitum obligatur, primo & primario ut solvat mille, quod cum non possit, secundario tenetur ut vinculis constrictus in carcerem detrudatur. Si quis autem huic debitori se substituat sponsorem, ille non tenetur ut carcerem subeat, ut vinculis constringatur, sed sufficit si primario debito persolvat, bona debita & dilapidata restituat, atque sic & ipse et & principalis debitor obligatione solvitur. Idem in quaestione proposita de satisfactione Christi dicendum puto. Scil. quia homo ad Dei gloriam tanquam ultimum finem conditus est, natura ad nihil obligari potest prius, quam ad dandam Deo gloriam, est igitur hoc homini quoddam debitum. Sed violavit homo hanc Dei gloriam, tenetur igitur ut ad dandam sic ad violatam restituendam. hoc primarium puto peccatoris debitum. Quamvis autem violatam gloriam Deo restituere homini peccatori absolute sit impossibile, utpote qui servus est peccati, tamen ideo obligatione haec non videtur solvi. Et existimo si per impossibile supponatur, hominem pro hoc primario debito Deo suo satisfacere; ipsum secundario debito in aeternis miseriis non posse subjici. Verumenimvero quia homo peccator nullo modo pro primario suo debito satisfacere potuit, neque Deo violatam gloriam restituere (id faceret, si tale quid posset & agere & pati, quo Deus sanctus sanctificaretur & ad omnium hominum conscientias demonstraretur justus in

remittendis & sanctus in puniendis) Deo demum subjiciatur ex primario debito, ut vinculis tenebrarum & impietatis constrictus in aeternas miserias abjiciatur, & in aeternum à Dei communione separatus, & hoc appello debitum secundarium. Et hinc jam manifestum fit, quod sponsor noster in se suscipere debuerit quod nos persolvere debuerimus, ut sic perfecte ἀπολύτρωσιν exigeret. Nam satisfactio primaria quod nos tollit obligationem ad secundarium, ideo ad perfectam satisfactionem quod nos sufficeret, et sic sponsor noster primario nostro debito plenè perfecteque satisfecerit, violatam à nobis gloriam Dei restituerit hoc est tota quod fecerit & passus fuerit, quibus Deus fuit sanctificatus & adeoque consequentias demonstratus et justus in remittendo & sanctus in puniendo. Sed jam ad scopum veniam; cum hunc meum conceptum nuper communicarem cum viro quodam docto, ille quidem ob novitatem distinctionis inter primarium & secundarium debitum primò denegavit assensum; postea vero cum iterato adirem, non nullos mihi super hac re movit difficultates, quas tamen ipsius sufflaminabant, quo minus assensum impetrarem. Inter multa alia quae mihi movit, ad quae pro mea tenuitate tunc temporis respondi, hoc unicum remansit, in quo satisfacere ipsi non potui. Nam quaesivit ad quod debitum referrem mortem illam spiritualem seu separationem Spiritus sanctificantis. respondi ad secundarium; ad quod ille non posse hanc spiritualem mortem ad secundarium debitum, secundarium [illegible] ex peccato profluens, referri, quia illa tam intimè peccato videatur inhaerere, ut formalem quasi peccati rationem constituere videatur, nec se audere ait asserere hanc mortem spiritualem esse poenam peccati, quia primum-primum Adami peccatum quomodo possit dici fuisse poena peccati, sine tali morte nec considerari nec concipi possit. Haec sunt quae ipsum inducebant, quo minus distinctionem meam probaret. Atque ego quamvis varia respondere atque haud difficulter probarem, separationem illam Spiritus sanctificantis esse poenam peccati, tamen satisfacere ipsi non potui. Ideo doctus ille vir, qui nunquam non clarissimi Viri authoritati acquiescit, utpote quam rationibus nunquam destitutam videt, consultum duxit, ut totum hunc conceptum perspicacissimo Clarissimi Coccejj judicio disjudicandum proponerem, ut sicubi in hisce à veritate devius, à Claritate vestra in viam reducar, sin minus, obnixè rogamus, aliquam horum illustrationem, sicubi intricatiora sunt, majoremque illorum confirmationem. Haec sunt quae non potui non esse Claritati vestrae hac vice molestus, ut & jam in absentia ex uberrimo eruditionis vestrae fonte, unde toties hausi, bibere mihi liceat; exspectabimus itaque à Claritate vestra hac super re responsum; nec repulsam vereor, prolixitati veniam peto. Quid nunc restat? nisi ut valere Claritatem vestram jubeam, cui placidam levemque senectam, mortem seram (ne tali careamus, quo carere nondum possumus) cum summa animi devotione apprecor voveoque. Vale

Clarissimae vestrae reverentiae devotissimus cultor
& discipulus Henricus Schlüterus.

Datum Teutoburgi [?] Februarij

Admodum Reverendo clarissimo
atque eximio Viro Dno D.
Johanni Coccejo, S.S. Th:
Doctori & Professori soli-
dissimo, Praeceptori, Fautori
meo venerando.

Leidam.